

DEUS, qui humánæ substántiæ dignitátem mirabíliter condidísti, et mirabílius reformásti: da nobis per hujus aquæ et vini mystérium, ejus divinitátis esse consórtes, qui humanitátis nostræ fieri dignátus est párticeps, Jesus Christus, Fílius tuus, Dóminus noster: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus: per ómnia sæcula sæculórum. Amen.



LAVABO inter innocétes manus meas: et circumdábo altáre tuum, Dómine:

UT aúdiam vocem laudis, et enárrem univérsa mirabília tua.

DOMINE, diléxi decórem domus tuæ et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

NE perdas cum ímpiis, Deus ánimam meam, et cum viris sánguinem vitam meam:

IN quorum mánibus iniquitátes sunt: déxtera eórum repléta est munéribus.

EGO autem in innocéntia mea ingrèssus sum: rédime me et miserére mei.

PES meus stetit in dirécto: in ecclésiis benedícam te, Dómine.

GLORIA Patri, et Fílio, et Spíritui Sancto.

SICUT erat in princípio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculórum. Amen.

INITIUM SANCTI EVANGELII SECUNDUM JOANNEM.

IN principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est: in ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. **ET VERBUM CARO FACTUM EST**, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.